

Franckesche Stiftungen zu Halle

Expeditor Ad Recta Via Svb Exemplis Domesticis demonstrata sermonibus publicis solennibus, quibus Illvstris Gymnasii Gothani nouas post ferias ...

Vockerodt, Gottfried

[Gotha], 1726

VD18 13389114

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:ha33-1-196976](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:ha33-1-196976)





65. E. 12

65 E. 12

EXPEDITIOR
AD RECTA VIA
SVB
EXEMPLIS DOMESTICIS

demonstrata

Sermonibus publicis solennibus,

quibus

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI

nouas post ferias cereales litterarias operas

dedicabunt

DOTHIAS GVILIELMVS WIARDA,

AVRICENIS, FRISIVS,

*ciuis sui, B. LVDERI MENCKENII, merita de iurisprudentia,
& academia LIPSIENSI repraesentans:*

GEORGIVS LVDOVICVS ASSVM,

WERTHEIMENSIS, FRANCVS,

*ciuis sui, B. IO. FRISCHMUTHII, merita de litteratura orientali,
& IENENSI academia exhibens:*

IOANNES ERNESTVS HAVN,

GOTHANVS,

de

*ciui suo, S. R. FRANCKIO, sperando adiumento in ordinandis missionibus Malabaricis, & propaganda per ORIENTEM euangelica veritate
ex Arabicæ linguae cultura imperitior differens;*

idque coram PANEGYRI, XVI. Sept.

IN CL. I. AUDITORIO, HOR. VII.

Quam ne deferant

ILLVSTRIS SCHOLAE PATRONI, ET FAVTORES,

submisit, & obseruantissime rogat

RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

LITTERIS RETHERIANIS.

EXEMPLIS DOMESTICIS
AD RECTA VIA
EXPEdition

ILLUSTRI GYMNASII GÖTTINGEN

DOCTUS GUILIELMUS WILHELM

GEORGIVS LUDOVICVS ASSAM

IOANNES ERNESTVS HALL





Onae mentis culturae, curaeque ingeniorum, ad
vſus publicos, & ornanda vitae humanae munera,
ſacra, & ciuilia, prouehendorum, quid vulgo ob-
ſtet? quot, & quantis difficultatibus obſeſſae ſint
verae ſapientiae, & ſolidae eruditionis viae? quid a
litterarum, & artium, quarum ſtudiis, & exercita-
mentis apti, habilesque redduntur, vt publice vti-
les eſſe poſſint, mortales, curriculo legitimo deter-
reat tirones, quid ingreſſos interpellat, & retardet progreſſus; emenſos autem
gradus omnes, perfunctosque ſolennibus ſcholasticis officiis omnibus ita
ſaepe detorqueat ad vulgaris conſuetudinis deprauationem, publicique mo-
ris corruptelis implicet, vt ruant, quo ſua quemque trahit libido, & publice
noceant, qui prodeſſe publice debebant; quique patriae decora, & mundi
lumina fieri poſſe credebantur, pecora reperiantur, & inutilia terrae ponde-
ra, vel reipublicae peſtes, & natrices? vix dici, offenſionumque formae, &
modi omnes exprimi verbis poſſunt, & recenſeri. Dudum de iis tollendis,
& expediendis ſapientiae viis ſoliciti fuerunt viri cordati. Fuerunt, qui-
bus ſeceſſus placuit vnice, nec aliam iuuentutis erudiendae palaeſtram ex-
tra coenobia ſatis tutam, & idoneam crediderunt. Idem ſuadere velle vi-
detur ſcriptionis de corruptae eloquentiae cauſſis autor, dum explicare, &
luculente impedimenta, & obſtacula repraeſentat, quae diſcentibus obſi-
ciat, turbatque iuuentutis diſciplinam magnarum vrbium celebritas, & vnde-
cunque confluentium hominum frequentia: in qua deeſſe non poſſunt quoti-
die pene, qui iuuenili cupidini ita blandiuntur, vt excuſate pro his viſendis,
obeundisque diſcendi opportunitates relinqui poſſe credantur. Sane inter
haec ita alienis a bona mente ſtudiis occupatur, & diſtrahitur aetas incauta,
vt ſi non deſerat prorsus ingeniorum cultum, in hoc tamen ſegniter, & per-
functorie verſetur. Aſt vero in ſeceſſibus iſtis non protinus ſeceſſio facta
eſt a praua cupiditate, nec ita conualuit bonae mentis cultus, vt illa ali-
quandiu clauſtris coercita, & vmbaticis exercitiis male ſanata non eru-
peret fortius, & quotquot ſortiti eſſent ingenia hiliora, emiſſi in lucem,
& hominum frequentiam, non abuterentur publici moris licentia, mores-
que diſciplinæ lege vtcunque componi viſos palam ſoluerent. E contra-
rio in triſtitiā condita indoles quibus contigit, ita deprehenſi ſunt ſolitu-
dinis conſuetudine in tranſuerſum acti, & a ſanae rationis tramite deiecti.

vt vel hebescerent in rerum actu, haesitarentque publici moris rudes, & infueri, totiesque ridiculi viderentur, quoties pedem mouerent, explodereturque collecta in secessu profunda rerum scientia cum ipsis studiosissimis possessoribus; vel in quibus attrabilis feruesceret, ingeniorum, & studiorum fiducia ablati irrumperent in res agendas, atque cum in rerum fastigiis eminere, & publica munera maxime ornare vellent, vt, se posse, confiderent, data dignitatis licentia summa imis mouendo turbarent, & peruerterent omnia. Quibus malis intercedere Lololitae sui muneris esse statuerunt, collectosque vndecunque alumnos in scholas suas non umbratica discendi ratione opprimendas; sed ad publici moris cultum, & elegantiam ex instituto excitandos, & assuefaciendos sibi proposuerunt. Quod vt obtinerent, cum legitima tamen sancti, boni, & ciuilibus negotiis apti moris disciplina, ex diuinis oraculis, iuuentutis manibus terendis, & historiarum omnis aevi monumentis, mature discipulis exhibendis, maxime petenda, destinationi ipsorum esset contraria: neque enim sectae lege istud licet; hoc autem consultum ipsis videtur: nec pati possunt, vt pueri sibi obnoxii patrum, & maiorum scelera in recentioris historiae luce recognoscant: posthabitis illis recte sapiendi, & agendi, solideque docendi, & educandi instrumentis ad malas artes, Romanorum legibus infamiae nomine ingenuis pueris diu interdictas, confugiunt, & ne publicos mores dediscant alumni, histriones efficiunt, & mimice lasciuendi, & pudorem ingenuum abiiciendi licentiam illis tribuunt: rhetoricando autem, & carminis pagani imitatione consequuntur, vt huc qui animos appulere, ex ipsorum schola egressi, imperitos praestigiis fallere, & ad populum phaleras possint expromere, in specimen fidelitatis magistrae, atque has commendare ipsi solutioris moris decore histrionico. quae licentia, & profanus loquendi, agendique modus, neruus in artis formam redactae impietatis, vt elegantia, & polita viuendi ratio, mosque pragmaticus, & honestioribus viris dignus appelletur, facile obtinetur in tanta consuetudinis deprauatione, & corruptis vulgi iudiciis. Rectius in scholis euangelicis iuuentutis studiis, & moribus consulitur, si non instar Sabinarum virginum rapiendarum ad vana miracula, & ludicras praestigias; sed diuina oracula conuertitur, alliciturque, qua fieri potest, verborum comitate, & disciplinarum tradendarum facilitate ad gustandas bonae fide studiorum radices amaras: ad linguas discendas, quibus ad intelligendum sacrae, & ciuilis historiae omnis aevi monumenta, ad docendum, colloquendumque domi, forisque opus est: ad verba acris stilo effodienda: ad tentandum sani coloris carmen: ad sermonis interpretandi, adornandique artes

artes

artes solidas, & antiquas: ad inspicienda veterum sapientum philosophemata omnia: ad rimandam vetustatis eruditae suppellectilem: ad contemplantam praesentem terrae, coelique faciem: ad observandum nobiscum viventium hominum, gentium, nationumque, principum, & populorum statum, mores, ritus, facta, fata: quae quotidie discendi cupidis offerunt publice actorum ephemerides: maxime autem ad amplectendum, quod divina oracula offerunt, & inculcant, diuini regni mysterium, & quibus istud continetur, bona coelestia; ac pro his vilipendenda, in quibus profani depereunt, huius vitae pretia: ad ingrediendum strenue certamen pro fide, diuini regni cupidis proposita: ad faciendam bona fide secessionem a seipso, & cupiditate domina: ad hanc oppugnandam quacunque honestatis, iuris, & libertatis specie excusatam, palliatamque, etiamsi non expugnandam penitus, donec fessus certamine fidei, & victor animus e corporis vinculis euolet ad vitae ducem, Christum. Huius subfugo, & ductu quotquot adulescent, obfirmantque se sensu, & spiritu magistri, ad persistendum in certaminis designati curriculo; etiamsi quotidie pro optimis factis, destinatisque improbae multitudinis maledicta perferenda, & deuoranda sint, & sustinendus impetus non vnus coniurantium contra veri Christiani militis vitam, & fortunam: non magis perire possunt, quam dux, magister, & caput suum, cuius membra sunt; nec perperam agent, nec perdent quicquam rerum humanarum, illorum fidei, & curae mandatarum, siue custodiendae, siue gubernandae illae fuerint. In fastigiis rerum ita versabuntur, ut ingenii dores, opesque industria partas sine fastu, & vanitate in generis humani usum, & publicam salutem conferant, successusque & consiliorum, & factorum ad diuini Numinis, vnici auctoris, gloriam referant. Barbaris etiam, qui ita instituti sunt, & bona fide agunt, venerandos videri, & omni amore, & honore excipiendos; euangelici hominis, Hailingii, in Abassinorum imperatoris aula, a B. Iobo Ludolfo in vulgatis Aethiopicae historiae monumentis memorata; non ita pridem autem plenius descripta instituta, facta, & fata confirmant. Cuius generis exempla etsi rara sunt, sapiuntque exactam virtutis integritatem, & singularem in fatis dispensandis, honestandisque meritis providentiam, ut heroicis ausibus consentanea, captuque vulgari maiora videantur, atque ideo tam longe ut plurimum ab usu nostro, & imitandi consilio reiiciantur, quam Aethiopia distat a Germania: non desunt tamen, quibus expediri ad recta via potest iuuentuti erranti, & torrente deprauatae consuetudinis ablatae ad aemulanda vitia potius, quam virtutes, nimirum multam significationem piae destinationis, singularis industriae,

virtutis inter aduersa constantiae, nec non propitiae in remunerandis factis
prouidentiae diuinae prae se ferentia exempla familiaria, & domestica. Eo
nomine in tabulae huius fronte memorati VIRI BEATI ad aemulandum
proponi recte potuerunt. Sicut enim colonis in alienis agris feliciores se-
getes, in suis infelix lolium, & steriles auenae dominari videntur: ita dum a
capiendis corporis voluptatibus ad bonae mentis curam, & ingenii cultum
aegre se transferri patitur iuuentus, iis, qui ad hunc ducunt, impelluntque,
facile obtrectat, remque capiti suo maiorem, a suae patriae indole, ciuium-
que moribus alienam sibi imperari queritur, relinquendam exteris; queis
de meliore luto sinxerit praecordia Titan. Qui si semel pro ignauia sua, &
adolescencia per inertiam transigenda fecerunt votum, maiorum etiam re-
ctiora secutorum, tanquam antiqua, & dudum proscriptae, pudendaeque
simplicitatis exempla repudiant, & dissimulant, vel negant, cordi vnquam
fuisse ciuibz suis ingenii cultum; vel spectatum fuisse insignis virtutis in pa-
tria documentum, quod imitandum sibi iure possit proponi. Aliter visum
est nominatis in fronte tabulae oratoribus, qui studiosè circumspexerunt,
quaesueruntque domesticas imagines, quarum adspectu aemulae virtutis
studium in se accenderent, & ad parem industriam se ipsos incitarent. Pri-
mus FRISIVS, patriae, dum haec vulgantur, ciuilibz fluctibus valde iacta-
tae; sed singulari SERENISSIMI PRINCIPIS sui virtute, & eius administri,
& CANCELLARII, ILLVSTRIS Ennonis Rudolphi BRENEISENII, indu-
stria tandem, quod CAESAREA mandata, ad auxiliandum, fluctusque com-
ponendos, etiam armis, virisque, si opus fuerit, vocantia plures S. R. IMPE-
RII procures, iam iam vulgata loquuntur, feliciter eluctantis ciuis patricii
sanguinis, neposque eius, qui eundem, quem ILLVSTRIS patronus tenet, ob-
tinuit honorati ministerii gradum, erectae indolis, & boni propositi ado-
lescens, ad IURISPRVDENTIAM iturus in salutandis propediem academiis
non florentem solum omnibus tanto ministro dignis laudibus BRENEISE-
NIVM venerandum, & admirandam eius iuris ciuilibz, publici, patriique
scientiam, eiusdemque statui patriae laborantis applicandi dexteritatem pro
capitu consecretandam; sed, cum publicata LIPSIENSIS ACADEMIAE te-
stificatio, quid de altero ciue suo, B. LVDERO MENCCKENIO, ICTORVM
ORDINIS per vltimos vitae eius annos ORDINARIO, sentiret, in manus
eius incidisset, & huius magni ICTI merita recens in luce posita, contem-
planda, & eiusdem industriae vestigia excutienda, persequendaque pro viri-
bus sibi proposuit; atque ideo non aliunde petere voluit dicendi argumen-
tum, cum & abeuntis pietas, & ILLVSTRIS scholae, cuius pene per annum
alu-

alumnus optimae notae fuit, solennia aliquid ab eo sermonis poscerent. Qualis animi, propositique ICTI si Frisiae contingent plures, pacata semel haec Germaniae ora maritima non facile turbendam se, & vexandam, periculisque fluctuum marinorum, & ciuiliū exponendam pessimis consultoribus permittet; sed SERENISSIMO GEORGIO ALBERTO, & fidelibus eius ministris, a quibus pene inuita, & saluti suae repugnans seruata est, sicut Aegyptus Pharaoni suo, & Iosepho, ex fati faucibus vindicatas ciuium vitam, & fortunas libenter in perpetuum debet, acquiescetque patienter sub umbra, & clementia PRINCIPIS tam boni, tam sapientis, tam prouidi, & salutis ciuium suorum studiosi, ut vere de eo dici potuerit, iis etiam, qui non parent, solum PRINCIPEM causam fuisse, cur non perirent. Ad quam patriae pacandae, ornandae spem ut FRISIVS noster adolescat aspiciat, operamque suam, si fata ita voluerint, adiungere possit expeditius, sub laudatissimi ciuis B. MENCKENII exemplo, implenda a se boni IVRIS cultoris officia diligenter repraesentabit, demonstrabitque sui boni propositi confirmandi causa, mature circumspectum esse apparatus studii iuris legitimum, nec ab hoc excludendam esse litteraturam sanctiorem: idque non defunctorum solum summorum ICTorum; sed & Menckeniani generi, excellentissimi Kunholdi, ciuis nostri: qui, sicut Brunemannus, & Zieglerus, theologus aliquandiu fuit; maxime autem patroni sui ILLVSTRIS BRENEISENII, sacris semper litteris delectati, exemplo illustrabit.

Orator alter, FRANCVS, in deligenda sibi, imagine scientiae theologiae solidioris, orientali litteraturae superstruendae, vix aptiorem, laudibus, meritisque clariorem inuenire potuit, quam ipsi patria, WERTHEIMVM, magnorum litteratorum ferax, suppeditauit, B. videlicet IOANNEM FRISCHMUTHVM, Ienensis academiae decus, magni Hackspanii, & Ruperti: quanti nominis Altdorfinorum professorum? discipulum, & post fata scriptis clarissimum. Alter annus est, ex quo de cathedra eadem nostra magnus Ienensium theologus, non ita pridem defunctus, B. FOERTSCHIVS, ciuis Wertheimensis, laudatus est. Merito itaque gratulamur inclytae Francorum ciuitati ad Tubarem, & Moenum confluentes sitae, quod breui adeo tempore tam clarum par luminum evangelicae ecclesiae, & rei litterariae protulerit; nec minus ILLVSTRI scholae Gothanae, quod ex vrbe ista laudatissima, & suburbanis vicis oriundi, excellentibus ingeniis, nec contempnendis sanctioris, & humanioris litteraturae tirociniis praediti, imbutique adulescentes illius alumni esse voluerint: maxime autem horum
paren-

parentibus, quod ita hic se gesserint, vt optime de iis sperare possimus in posterum. Certe ita contenderunt ingeniis, studiisque, vt paria magnis illis litteratoribus facere velle videantur. Apparebit id ex specimine, quo cuius laudabitur, & vniuersae litteraturae orientalis pretia asserentur in limine.

Tertius orator, GOTHANVS, idem strenuus orientalium linguarum cultor, cum Arabicam litteraturam praecipue laudandam sibi proposuisset, merito memor est piae destinationis Ernestinae, & posteaquam, quod huius generis studia commendare potest, satis diligenter exposuerit, non dissimulabit, quam necessaria futura sit huius linguae cognitio, & vsus in propaganda inter externos veritate euangelica, in cuius apparatu BEATISSIMI ERNESTI PII, magnique litteratoris orientalis, Ludolfi, feruebat industria: quamque vrgendam, & persequendam non sine Ludolforum, cum viuerent, consilio, & studio suscepit ciuis noster, SUMME REVERENDVS AVGVSTVS HERMANNVS FRANCKIVS, idque summis auspiciis, regum potentissimorum Daniae, & Magnae Britanniae, nec sine opera, & studio laudatissimae SOCIETATIS INDICAE ORIENTALIS BELGICAE. Sicut tantis sub auspiciis, singulari DEI T. O. M. munere, & providentia, vltimis his temporibus, populisque diuinae veritatis, & euangelicae lucis expertibus propitia, SACRA BIBLIA vniuersa Malabarice leguntur, & hoc pacto magnus Indiae orientalis tractus diuino verbo potest illustrari: ita non minus DEI beneficium erit, si eadem Arabice, in commodum, & minoris molis codicem digesta, in australes non minus, quam orientales regiones poterunt perferri, quo particulatim vt plurimum edita scripta diuina peruenire non potuerunt, vtpote mole sua, & forma incommoda deterrentia a se emtores, lectoresque. In quo praeclaro opere dum desudat Londini par virorum orientalium doctissimorum, SALOMO NEGRI, & RALIDADICHI: quorum illae Halae praesens Arabice litteraturae studium, bis eo profectus, excitare studuit; hic Gothae, & Halae, nec non Lipsiae, non Arabum solum; sed, & Syrorum, hodiernorumque Graecorum eruditae delicias docuit: meretur vtriusque industria in Gothana pietatis, & litterarum officina a diligentissimo Arabicae linguae cultore publice laudari. Cuius patroni, & fautores vt pijs faueant conatibus rectiora studia commendantium oratorum, demonstrantiumque simul, nec caeteris studiis artium liberalium, nec eloquentiae exercitationi fraudi esse impensorem orientalis litteraturae culturam, frequentesque pangyri intulerunt, etiam atque etiam rogantur. P. P. Gothae MDCCCXXII. mense Decem.

SEPT. XV.

55 100 90

65 E 12

